



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 112. Helvetii contra Nationis suæ viros arma sumere recusantes

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

Secul. XVI transitus illi intercludebatur. Tandem
A.C. 1516. vero moliminis pertinaciam fortuna ita
 superavit, ut Cæsar in loco a castris pau-
 lo remotiori amnem ponte jungeret, ac
 justo numero pedites trajiceret, quibus
 primam aciem adversus Franciæ exerci-
 tum tueretur. Verum Galli nec Medio-
 lanum sese recipere, nec Germanos, ut
 Abdiam iterum transmitterent, compel-
 lere solliciti erant; quapropter Maximi-
 lianus Fecialem Mediolanum misit, qui
 mox urbis claves deferri postularet, ac
 civibus, ni prompta submissione jussa ex-
 querentur, extrema quæque minitare-
 tur. Hæ Cæsaris minæ tanto terrore
 cives obruebant, ut illos Borbonii Dux
 hujus Metropolis Præfetus ægre admo-
 dum in officio contineret, unde protinus
 Trivulcium & Lautrecum accurrere jus-
 sit, qui etiam cum sexcentis Lanceariis,
 ac circiter septem peditum millibus præ-
 sto aderant; nihilominus quo propius
 Maximilianus Mediolano accesserat, eo
 magis tumultus, terroresque augebantur,
 ac primum cives aliquantulum metu li-
 berabantur, ubi Baro de Alt-Sassia Hel-
 vetios adduxerat.

§. CXII.

*Helvetii contra Nationis suæ viros arma-
 sumere recusantes.*

Interim Helvetiorum adventus utrumque
 exer-

exercitum pari timore replebat : Galli Sæcul. XVI.
quidem paulo ante tam certi auxilii fidu- A.C. 1516.
cia elati, jam lingua & aqua hærebant,
postquam cernebant, quod Helvetii, ut
adversus populares suos in Cæsaris ex-
ercitu stipendia merentes arma caperent,
nullo pacto induci possent : Germani ve-
ro pertimescebant, ne Helvetii ideo tam
insolita audacia æs militare sibi a Maxi-
millano numerari postularent, ut hoc ob-
tentu freti contra nationis suæ Viros re-
cens Mediolanum adventantes bellum
gerere haud cogerentur. Nec inanis e-
rat Germanorum metus : Helvetiorum
enim Tribunus summo mane Maximilia-
num adhucdum in Lecto jacentem ado-
ritur, ac pecunias verbis adeo indignis
postulat, ut Cæsar justæ indignationi
imperandi impotens, petulantiam eidem
acrius exprobraret, Tribunus vero adeo
non culpam suam deprecaretur, ut au-
dacijs etiam reponeret, Helvetios flore-
nis, non castigatione indigere, ni ergo
quantocius illis debita solverentur stipen-
dia, se ea, quæ Borbonii Dux obtulisset,
merituros. Cæsar pecuniis tum destitu-
tus, Helvetiorum vero fidem largiori Gal-
lorum auro corrumpi veritus, seria men-
te infaustum Ludovici Sfortiæ, qui con-
jugis suæ Patruus erat, fatum perpendit;
hunc enim in simili ferme eventu prope
Novaram ab Helvetiis per summam

K 4 perfidiam

Sæc. XVI. perfidiam Gallis traditum fuisse noverat.
A.C 1516. Ergo Tribunum placare fategit, quem tam
 men, ubi lenitate Cæsar is asperiorem
 fieri cerneret, ad castra reverti jussit,
 pollicitus, se illuc pomeridiano tempore
 cum Sedunensi Cardinale iturum, qui
 etiam suo in Gallos odio constanter in-
 hærens tam opportunam eisdem nocen-
 di occasionem prehendere haud neglexit.

§. CXIII.

*Cæsar metu territus motis castris
 secedens.*

Cum vero Helvetiorum Belliduces ca-
 tervatim confluenterent, Cæsar inde in
 se conspirationem conflari suspicatus, fu-
 ga sibi consulere statuit. Ergo ad Ger-
 manorum stationem primo se recepit, nec
 tamen ibi securitati suæ sat cautum
 ratus, obsidionem solvere jussit, suumque
 exercitum ad oram Abduæ conduxit,
 atque cum Germanorū copiis amae-
 ocius superato in Bergamensi ditione ca-
 stra metatus est, nec metu liber, do-
 nec Tridentum pervenisset. Eodem die
 Helvetii ad Cæsar is exemplum motis ca-
 stris primo Laudam, deum ad oppi-
 dum S. Angeli, quod deprædati sunt, re-
 cesserunt, paulo post per Vallim Tellin-
 nam in patriam reversi. Exercitus vero
 aliquandiu unum adhuc agmen efficie-
 bat,